


4NY-18-
0038-



KNY-18-00697

PROPOSITIONES
EX UNIVERSA
PHILOSOPHIA,

QVAS

AVCTORITATE, ET CONSENSV
EXCELLENTISSIMI, AC ILLVSTRISSIMI

D O M I N I ,

SVPERIORIS REGII SCHOLARVM, ET STUDIO-
RVM PER DISTRICTVM POSONIENSEM

D I R E C T O R I S ,

CORAM

REVERENDISSIMO, AC CLARISSIMO

D O M I N O ,

ACADEMIAE REGIAE, ET ARCHI-GYMNASII
TIRNAVIENSIS

DIRECTORE LOCALI,

A C

TOTA FACVLTATE PHILOSOPHICA,
IN REGIA ACADEMIA TIRNAVIENSI

ANNO MDCCCLXXIX. MENSE AVGUSTO

Publice propugnandas suscepit

R. F. CLEMENS HOMOKI,

Ord. S. Francisci Prou. S. Mariae in Hungaria Clericus Professus, Philo-
sophiae in annum alterum Auditor.

TIRNAVIAE, Typis Regiae Vniuersitatis Budensis.

E
PRAELECTIONIBVS

A. R. AC CL. D. MATTHAEI PANKL, AA.
LL. & Philosophiae Doctoris, Physicae, nec non
Rei Rusticae Professoris Publici Ordinarii, Facultatis Philosoph. Senioris,
Archi - Dioecesis Strigoniensis Presbyteri.

A.R. AC CL. D. JOSEPHI KORDÁNYI, AA. LL. &
Philosophiae Doctoris, SS. Theol. Baccalaurei, Logi-
cae, Metaphysicae, Philosophiae Practicae, nec non Historiae Litterariae
Philosophicae Professoris Publici Ordinarii, Archi - Dioec. Strigon.
Presbyteri.

A. R. AC CL. D. MARTINI HOLLÓ, AA. LL. & Phi-
losophiae Doctoris, SS. Theologiae Baccalaurei, Ma-
theses Elementaris Purae, & Adplicatae Professoris Publici Ordinarii,
Archi - Dioecesis Strigoniensis Presbyteri.

A. R. AC CL. P. IACOBI PEER a S. JOSEPHO CALAS.
Clerici Regularis Scholarum Piarum, AA. LL. & Phi-
losophiae Doctoris, Historiarum Cursus Philosophici Professoris
Publici Ordinarii.



KNY-18-00697



EX LOGICA ET METAPHYSICA.

I.

Logica est disciplina, qua regulae & praecepta distincte traduntur, quibus intellectus nostri operationes in discernenda, inuenienda, & communicanda veritate diriguntur.

II. Indicia, sive criteria veritatis sunt rationes & adiumenta veritatis discernendae, adeo, ut in illorum notitia, & recto usu omnis discernendae veritatis ars contineatur. Haec vero sunt: perspicuitas vera, communis naturae humanae sensus, testimonium sensuum externorum, & auctoritas humana.

III. Principia generalissima, quibus omnis denique demonstratio nititur, duo sunt: principium nempe contradictionis relate ad veritates necessarias, & principium rationis sufficientis relate ad veritates contingentes.

IV. Anima humana gaudet libertate non solum a coactione, sed etiam a necessitate, seu libertate indifferentiae; neque eam actionum nostrarum, quam Deus ab aeterno habet, praeuisio euertit.

V. Perceptiones, & adperceptiones nostrae neque meri motus, neque modi motionum, neque reactiones cerebri, cordis, aut quarumcumque partium corporis sunt: immo vniuerse cognitio determinatio entis compositi esse non potest. Anima proinde nostra substantia simplex, omnis materiae expers, verique nominis spiritus est.

VI. A corpore soluta perpetuo existere, & vitales suas actiones exercere valet; nec ab illo ente finito vita, aut existentia spoliari potest: a Deo vero ita conseruari eam oportet, ut perpetuo & existat, & viuat: reuera igitur immortalis est.

VII. Bestiae gaudent facultate sentiendi, imaginandi, adpetendi, & auersandi, nec non spontaneis motibus: est itaque in iis anima immaterialis,



lis, eaque substantia simplex. Quia tamen facultate intelligendi & ratione carent, anima earum interno discrimine ab anima humana differt.

VIII. Existere reuera Deum aliquem, triplici arguento demonstratur: quorum primum existentia entis ab alio, quod *metaphysicum*; alterum adspectabilis hic mundus, quod *physicum*; tertium vniuersalis omnium gentium consensus, quod *mora*le dicitur, suppeditat.

IX. Etiamsi autem demonstrari non posset Deum, esse possibilem, aut sine Deo nihil existere posse, athei tamen ne quidem probabiliter assertere possent, Deum impossibilem, aut ens supervacaneum esse.

X. Quin etiamsi neque ex adspectibili hoc mundo, rerumque, quae in eo continentur, existentia certo demonstrari posset, existere Deum aliquem, contrarium tamen athei nequidem probabiliter ex imperfectionibus, & malis huius mundi inferre possent.

XI. Quare athei nec ex parte intellectus, nec ex parte voluntatis ullam rationem habent, cur contra conscientiam suam animum obstinare, sibique persuadere velint, nullum Deum existere, aut istud saltem incertum esse; vt adeo singularis stultitia sit atheismum amplecti; maior, eum etiam profiteri: maxima, eum insuper etiam aliis persuadere studere.

XII. Est vero Deus nonnisi unicus, infinitus, & omnis compositionis, ac materiae expers: nec cognitione solum, & operatione, sed sua etiam essentia rebus omnibus intime praesens.

XIII. Propria eidem aeternitas est, quae cum initio & fine, tum omni durationis successione caret: scientia item rerum omnium cumulatissima; liberrima denique, & nullis definita limitibus omnipotens voluntas.

XIV. Eius liberrima voluntate mundus hic adspectabilis ita effectus est, vt initium existendi habuerit: qui etsi omnium eorum, qui esse poterant, absolute perfectissimus dici nequeat, in suo tamen genere perfectus est.

XV. Deus conseruat mundum hunc assidue: ad omnes entium creatorum actiones immediate concurrit: omniaque summa potestate & prouidentia administrat, ita vt nihil in hoc vniuerso sit, quod Diuinæ prouidentiae non subiiciatur.

XVI. Leges, quibus vniuersum hoc regitur, gubernaturque, Deus, quin immutabilitati suae, alterius attributo quidquam deroget, interrumperet, cum ei libuerit, vel perturbare potest: & quia in alicuius harum legum perturbatione, aut intermissione miraculum est repositum, miracula in hoc vniuerso produci possunt.

XVII. Etsi vero rationis nostræ luminibus certo decerni nequeat, quam vim agendi quoad has leges Deus genii dederit, vel impetriri possit: illud tamen certissimum est, potestatis, quaecunque demum ea sit, spirituum, praesertim malorum, in has naturae leges usum pendere ab una

Dei



Dei voluntate, aut permissione; neque prodigia, quae daemones faciunt, posse vñquam eiusmodi esse, vt discerni nequeant ab iis, quae Deus producit.

XVIII. Deo infinite bono & perfecto, creanti, conseruantique omnia, beneficentissimo omnium gubernatori religio debetur adeo, vt eius obligatione nullus hominum absolui possit.

XIX. Est autem religio vel naturalis, vel reuelata. Illam existere certum est; quae licet falsa esse non possit, in se tamen spectata infirma, & incompleta est.

XX. Quare ad Deum rite colendum, & ad finem consequendum hominibus vtilissima, quin immo necessaria est religio reuelata; Diuina praeterea bonitas postulat, vt Deus hominibus religionem aliquam reuelet: praeter naturalem igitur exstat etiam religio reuelata.

E P H Y S I C A.

DE PRINCIPIIS, ET COMMVNIBVS CORPORVM PROPRIETATIBVS.

I.

Physica est scientia corporum, quorum proprietates, & vires expendit; ac per phaenomenorum obseruationes, vocata in subsidium geometria, in leges inquirit, quibus mundana haec machina regitur.

II. Elementa corporum sunt entia simplicia, inextensa, homogenea, viribus adtractiuis, repulsiuis, & inertiae praedita; legem virium adtractuarum, & repulsiuarum rite exhibit regularis quaedam linea curua, quae tametsi inter quaevis duo elementa, vtpote homogenea, eadem sit, in corporibus tamen pro diuersitate numeri elementorum, combinationis, texus, diuersissima sit oportet.

III. Communes corporum proprietates, inpenetrabilitatem, extensionem, diuisibilitatem, ac mobilitatem, ceu corollaria e viribus deducimus; caeteras vero affectiones, quae in corporibus duris, fluidis, molibus, rigidis, elasticis notantur, ex ea virium diuersitate, quae e varia combinatione, textu, numeroque elementorum resultat, deriuamus; nominatim: conhaesio corporum oritur ex mutuis particularum viribus, si nempe eae sitae sint in limitibus conhaesionis, aut etiam extra hos limites, si, ob vires vndique resistentes, de statione sua nec in hanc, nec in aliam partem decedere queant.

IV. In omni corpore datur centrum grauitatis, idque vnicum; commune



mune grauitatis centrum duorum corporum est in linea recta particularia centra iungente , distatque ab his in ratione reciproca massarum ; statum centri grauitatis mutuae elementorum vires non turbant ; vnde concludimus , vim inertiae non tantum indiuiduis elementis , sed etiam corporibus , spectato horum grauitatis centro conuenire.

V. Stabilita hac inertiae vi geometrica demonstramus , actiones corporum esse debere mutuas , contrarias , & aequales ; quare ea vis inertiae admittenda non est , cuius effectus sit reactio , natura posterior actione corporis agentis .

DE MOTV IN LINEIS RECTIS.

VI. Spatium motu uniformi , seu aequabili confectum , est in ratio ne composita celeritatis , & temporis , riteque reprezentatur per aream parallelogrami , cuius vnum latus tempus , aliud celeritatem designet .

VII. Motu vero uniformiter accelerato confectum rite reprezentatur per aream trianguli , cuius altitudo tempus ; basis celeritatem finalem designet ; hinc deducitur , in eodem motu spatia , ab initio motus computata , esse ut quadrata temporum , vel celeritatum ; quodsi singulis aequalibus temporibus confecta computentur , ea crescere , ut numeros naturales impares 1, 3, 5, 7, &c.

VIII. Si duae vires , quae conponuntur , eiusdem sint rationis , mobile rectam semper lineam describet .

DE MOTV PER MACHINAS SIMPLICES.

IX. Praecipuum machinarum fundamentum est , quod aequilibrii tempore potentia , & pondus sint in ratione reciproca suarum celeritatum .

X. Ex hoc principio rationem potentiae ad pondus in vecte , bilance , statera romana , trochlea , polypasto , axe in peritrochio , cochlea , & cuneo determinamus .

DE MOTV IN LINEIS CURVIS.

XI. Si mobile duabus viribus , sub aliquo angulo concurrentibus , agatur , viresque sint diuersae rationis , describet lineam curuam .

XII. Corpus viribus centralibus actum describit circa motus sui centrum areas temporibus proportionales ; & si circa quodpiam punctum deprehendatur describere areas temporibus proportionales , id evidenter euincet , corpus illud in idem punctum continentem tendere .

XIII. Si



XIII. Si vis centripeta cum tangentiali sub angulo obtuso concurrat, decrescit celeritas mobilis; si sub acuto, crescit; si sub recto, neque crescit, neque decrescit.

XIV. In circulo vis centripeta est in ratione composita ex directa duplicita celeritatis, & inuersa simplici radii. In ellipsi vero, cuius alterius focus cum centro virium congruit, est vis in ratione reciproca duplicita distantiarum ab eodem foco, seu centro virium.

XV. Si quadrata temporum periodorum sint ut cubi mediarum distantiarum a centro virium, id eidens signum est, vires centripetas esse in ratione reciproca duplicita distantiarum a centro virium.

DE GRAVITATE VNIIVERSALI MOTUQVE ASTRORVM.

XVI. Omnes planetae, & cometae, imo bina quaelibet elementa, saltem eorum corporum, quae regio planetarum, cometarumque continet, maioribus interuallis seiuncta, se se inuicem adtrahunt, seu in se se mutuo grauitant.

XVII. Adtractio haec vniuersalis, qua corpus vnum tendit in aliud, est in ratione composita ex directa massae trahentis, & reciproca duplicita distantiae mutuae; atque huic attractionis vniuersalis legi phaenomena omnia grauitatis terrestris adprime consentiunt; neque tamen eadem ubiuis est haec terrestrium corporum grauitas, sed diuersa plane sub diuersis ab aequatore latitudinibus; crescit nimurum versus polos, decrescit autem accedendo ad aequatorem.

XVIII. Planetae primarii omnes mouentur in orbibus proxime ellipticis, quorum foci vnum sol occupat; idem est de planetis secundariis respectu suorum primiorum.

XIX. Eorum, vti & cometarum motus periodici dupli vi peraguntur; videlicet vi grauitatis vniuersalis, agentis in ratione reciproca duplicita distantiarum, & vi projectili.

XX. Tellurem motu diurno circa axem conuerti, annuo circa solem ad sensum quiescentem moueri, grauissima probant argumenta.

XXI. Eclipsis lunae tunc fit, quum tellus inter solem, & lunam interposta, radios solares, in lunam cadentes, intercipient; eclipsis autem solis, quae rectius telluris dici deberet, habetur, quum luna inter solem, & terram interponitur.

XXII. Phases lunae, vti nouilunium, plenilunium, &c. pendent a varia eiusdem positione respectu solis, & terrae.

XXIII. Sol est vastus quidam globus maxima ex parte inflammatus, ac ignes undequaque euomens, habetque motum circa axem ab occasu in ortum.

XXIV.



XXIV. Maculae solares e fumo, & fuligine in altum sublatis oriundae, a disco solis non nihil absunt, uti nubes nostrae; quae vero de materia exusta enascuntur, in ipso disco versantur.

XXV. Planetae sunt corpora opaca, ac rotunda, solis lumine conlustrata, quae circa axes proprios conuertuntur; cometae sunt e planetarum genere, & eorum caudae sunt vapores e nucleo ipso in auersam a sole partem iugiter adsurgentes.

E STATICĀ FLVIDORVM.

XXVI. Inferiores fluidi partes a superioribus continenter premuntur, estque haec pressio tempore aequilibrii in omnem partem aequalis; fundus, quaecunque sit vasis constitutio, ab eodem fluido semper premitur in ratione composita basis, & altitudinis.

XXVII. Altitudines fluidorum heterogeneorum in tubis communicantibus sunt in ratione reciproca grauitatum specificarum; homogena autem ad eamdem altitudinem adsurgunt; at istud solum de tubis non admodum angustis intelligendum est, in capillaribus enim tubulis fluidum supra libellam ascendit, atque hic adscensus adtractioni vitri debetur.

XXVIII. Si fluidum ad perpendiculum prossilit, semotis impedimentis ad eam altitudinem adsurgit, in qua summa eius superficies intra vas consistit; at multa sunt, quae fluidum ad eam altitudinem eluctari non sinunt.

XXIX. Solidum fluido specifice grauiori immersum eousque mergitur, dum pondus fluidi sub demersae partis volumine exaequet solidi totius pondus; fluido autem specifice leuiori inpositum fundum petit; demersum tantum de suo pondere perdit, quantum est fluidi pondus, quod a corpore suo loco extruditur.

DE LVMINE, ET COLORIBVS.

XXX. Lumen consistit in tenuissimis corporis lucentis particulis, qua quaversus iugiter profluentibus, & per lineas proxime rectas, nisi quantum refractione detorquentur, ad oculos nostros delatis; propagatur successive, ingenti celeritate, motuque per medium homogeneum ad sensum aequabili.

XXXI. Si summa virium, quibus media dissimilia in lumen agunt, extinguat omnem celeritatem perpendicularē, radii reflectentur; si minuat duntaxat, refringentur a perpendicularē; si augeat, refringentur ad perpendicularē.

XXXII.



XXXII. Quilibet lucis radius constat staminibus dissimilibus, quorum quodlibet & diuersa refrangibilitate, & diuerso, eoque inmutabili colore gaudet; quaelibet item lucis particula post determinata quaedam interualla alternas iam ad faciliorem reflexionem, iam ad transmissionem dispositiones habet.

XXXIII. Colores natiui corporum oriuntur a tenuissimis, ac perlungentibus eorumdem lamellis, quae pro varia sua crassitudine certi coloris radios copiosissime reflectant, reliquis maxima ex parte transmissis; quod si omnis generis stamina permista reflectantur, albedo; si vero lumen maxima ex parte absorberi contingat, nigredo habebitur.

XXXIV. E mirabili oculi structura modum visionis, & communia eius phaenomena exponimus; vti & myopum, presbytarum, & strabonum vitia; angulus, quem duo radii ab extremis obiecti partibus dimanantes in oculo faciunt, definit adparentem eius obiecti magnitudinem.

XXXV. Ut corpus sit speculare, ita reflectat, oportet, radios, vt anguli incidentiae relate ad totam corporis superficiem sint aequales angulis reflexionis. E formula $x = \frac{dr}{2d-r}$ pro diuersa obiecti a speculo sphaerico concauo distantia focus, & imaginis situs eruitur: eadem formula speculis quoque planis adipicari potest, pro conuexis sphaericis seruit formula $x = \frac{dr}{2d+r}$.

XXXVI. Lens conuexa generatim radios versus se ipsos infectit, idque eo magis, quo maior est ipsius conuexitas; ex aduerso lens concaua radios a se mutuo deflectit, idque eo magis, quo maioris est cavitatis, vnde consequitur visum presbytarum conuexis, myopum vero concauis conspicillis iuuari posse.

DE IGNE, ET ELECTRICITATE.

XXXVII. Ignem purum a materia lucis nihil differre arbitramur; variis modis generatur; pabulo ad conseruationem eget, quod corpora omnia, phlogiston ab igne dissolubile continentia, praebent; indiget & caussa, ignem pabulo uniente, quae potissimum in atmosphaerae pressione, & constanti adfluxu aeris liberi constituenda viderur.

XXXVIII. Si corpus quodpiam nostro tactus organo admotum ita abundet fluido igneo, vt iuxta leges saturitatis respectiuae, ceu cuiusdam aequilibrii, fluidum igneum in ipsum tactus organum influere debeat, id genus corpus sensationem caloris in nobis excitat; atque in huiusmodi con-



stitutione corporis consistit eiusdem calor. Frigus, quatenus inest in corpore frido, in caloris inminutione situm est.

XXXIX. Flamma est collectio tenuissimarum ignearum, aliarumque varii generis particularum, ex accenso corpore magna copia erumpentium, & pressione atmosphaerae tantisper coercitarum, inque motu intellino vehementissimo constitutarum; eius vapores si satis conspicui sint, fumum efficiunt; qui si corporibus adhaereant, praebent nigram quamdam inflamabilem materiam, quae fuligo nuncupatur.

XL. E corporibus alia occurunt idiolectrica, alia symperielectrica; alia per excessum, aut defectum; alia positiae, vel negatiae electrica; generatim autem omnia electricitatis phaenomena pendent a fluxu vaporis electrici tum, quum sibi admouentur corpora, quorum vnum respectu alterius, negatiae, vel per defectum electrici, est positiae, aut per excessum electricum.

XLI. Lagena electricae exoneratio fit, quum vapor electricus ex onerata superficie celerrime transfertur ad alteram negatiae electricam; hinc explicandi veniunt etiam effectus electricitatis in atmosphaera terrestri: fulgura scilicet, conruscationes, tonitrua, fulmina, caeteraque non pauca meteora ignea.

DE AERE, AQVA, ET TERRA.

XLII. Aer est corpus fluidum, perlucidum; insigniter elasticus, & grauis; adsensus fluidorum in siphonibus, & antliis sugentibus atmosphaerae pressioni adscribendus est, vti & suspensio mercurii in barometro.

XLIII. Ventus est fluxus aeris, e sublato atmosphaerae aequilibrio oriundus; sunt vero complura, quae atmosphaerae aequilibrium perturbare possint; vnde instabiles sunt venti, nullisque certis legibus adstricti.

XLIV. Sonus, vt est in corpore sonoro, consistit in quibusdam tremoribus ac oscillationibus eiusdem corporis sonori; vt autem in medio, consistit in pulsibus, siue alternis vibrationibus aeris potissimum, motibus corporis sonori analogis. E certo vibrationum intra datum tempus peractarum numero oritur determinatio soni, quae tonus appellatur. Echo nascitur, dum aeris vndae ab obstaculo certa lege reflectuntur.

XLV. Origo fontium temporaneorum debetur pluviis, & niuibus resolutis; perennium vero repetenda est ab aquis marinis, quae in subterraneis meatibus calore ignium subterraneorum in vapores resolutae, atque a salinis particulis liberatae, in cauernas montium euehuntur, inde in subiecta hydrophilacia defluunt, ac demum per horum ostia ad locum scaturiginis deriuantur.



XLVI. Nebulae sunt congeries vaporum praecipue aqueorum, prope superficiem terrae aerem opacantum; quae vbi altius euctae in aere suspenduntur, nubem efficiunt; nubium vapores in guttulas maiores concrescentes pluiam constituunt.

XLVII. Ros est vapor subtilissimus, aut actione solarium radiorum de tellure in aerem, aut ex aere in corpora, aut e vasis plantarum sudoris instar erumpens, atque in guttas concrescens; ros in glaciem versus pruinam efficit.

XLVIII. Niues sunt vapores congelati, in floccos maiores certis legibus concrescentes; grando nascitur e niuibus, quae inter labendum aliis nondum induratis adcrecentibus augentur, ac non nihil funduntur, tum vero in glaciem abeunt.

XLIX. Glacies oritur valida particularum aquearum ad certum angulum attractione, quum in atmosphaeram frigidorem particulae igneae, consistentiam fluidi cohibentes, sensim abeunt.

L. Terra nostra est massa, e terra & aqua partem maximam compaginata, copiosissimum suis in visceribus ignem continens; unde terrae motus ab aere, vaporibusque subterraneis vi ignis, aliterue subito se expandentibus oriuntur.

E
R E R V S T I C A.

D E A G R O R V M C V L T V.

I.

Diferimina terrarum tribus generibus continentur; terra graui, leui, & pingui; grauis argilosae, leuis cretose, calcareae, & vel maxime arenosae, pinguis denique humo respondet. Singulae utcunque tractatae gratiam agricolae non referent; at permixtae inter se foecundissimam praebent terram, quae humus communis dicitur, cuius foecunditas a partium commixtarum numero, atque ipsis mixtionis temperamento pendet.

II. Nuspiam terra bona maiore seu copia, seu foecunditate deprehenditur, quam in locis manibus hominum intactis, & silvestribus; cum contra terras hominibus cultas steriliores semper reddi oporteat; emendatio igitur solo culto adhibenda est, quae duabus rebus perficitur; stercoratione, tum aratione, & agitatione terrae assidua.



III. Communis colonorum opinio est, terram segetibus eneruari, atque adeo quiete opus habere, quam huic more passim recepto tertio quo-uis anno concedunt: sunt tamen non pauci, iisque rei agrariae peritissimi, qui non leuibus ducti momentis quietem hanc minime necessariam censem; nos viam medium inimus, suademusque, ut agris quidem quies a frumentis indulgeatur, neque tamen propterea a ferendis oleribus, ac legumini- bus inmunes esse sinantur.

IV. Culturam terrae sementis excipit; prima, & utilissima, quae se- runtur, sunt frumenta; his proxima legumina; tum rapae; demum olera; in omnibus prima eligendi optimi seminis cura colonum occupet, cuius bonitatem e mole, pondere, maturitate, ac integritate granorum aesti- mabit.

V. Tempus facienda sementi maxime idoneum autumnus est, quae tempestua sit, ut radices frumentorum conualecant prius, quam hiber- nis imbris, ac pruinis infestentur. Satio autem ipsa quam rarissima sit, ratio enim, & experientia docent, rarae sationi fertilitatem multo maiore proportione respondere, quam densae; concedimus tamen, autumnale se- men, pluribus vtpote iniuriis expositum, largiore non nihil vola seri posse, quam vernum.

VI. Messis flavescentibus aequaliter satis tempestue fiat; duo apud nos sunt metendi genera: Secula, & falce: per pensis momentis, quae pro vtraque pugnant, falk praepacet, quod labor sit longe expeditissimus, & spicarum integrati, messorumque valetudini maxime consulatur.

VII. Tritura visitatissima est, qua fustibus grana e spicis extunduntur, hanc per se molestissimam, tarditate domino onerosam, multis praeterea fraudibus expositam suadere non audemus; melius, celerius, ac minoribus sumtibus, nisi quis stramini consulere velit, inactis equis rem conficiet.

VIII. Frumenti seruandi cura non postrema sit, ne aut fermento vi- tietur, aut volucribus, muribusque praeda fiat, aut ab infestis animalculis erodatur; qua in re nihil consultius est, quam nativo humore granum spoliare; prohibere, ne incalescat; aerem denique, qua licet ratione exclu- dere; vnde modus frumentum in scrobibus conseruandi pras caeteris com- mendari meretur.

DE CVLTV PRATORVM.

IX. Cultura pratorum in eo versatur, vt colonus prata bene culta conseruet, destructa instauret, aut denique noua instituat; bene culta conseruabit, si virgulta, vepreta, rubos, iuncos, omniaque impedimenta, quae serpendo herbas optimas suffocant, extirpauerit; si pecora aditu pro- hibue-

hibuerit; si macriora loca fimo iuuerit; si siccanea inductis aquis humectauerit, irrigua superfluis liberauerit; aequa enim abundantia aquarum, vt penuria gramini exitium parit.

X. Quodsi prata iam vetula crasso musco obducta fuerint, nulla remelius medebimur, quam ea de integro inarando, & in agrum conuertendo, in quo magno cum foenore milium, sequente vero anno frumentum seritur; tertio licebit agrum rearare, & occis bene dilaceratum, sparsograinum semine ad priorem vsum reuocare; idem faciemus, si prata noua instituenda fuerint.

XI. Gramen antequam inarescat, optime demetitur; id enim & largius, & pecudibus iucundius pabulum praebet; demessum postridie saepius verti, vesperi in modicos congeri cumulos, redeunte sole rursum dispergi, atque ita continuari oportebit, quoad probe persiccatum fuerit, tum in foenilia, vel nubilaria deuehendum, aut quod melius est, in metas exstruendum erit.

DE CVLTV VINEARVM.

XII. Terreni genus, cui vitis innascitur, ad bonitatem vini plurimum confert; cui rei non summum tantum solum, sed omnem collis massam servire verisimile est; vtcunque pampinis luxuriet, modicum tamen humor exspirat; quo fit, vt exiguo etiam alimento viuat; quapropter aridis committi locis potest, quin his plerumque laetiſſime prouenit; quare monrem sterorandi vineas probare non possumus.

XIII. Cum noua instituitur vinea, terra autumno sulcis tripedanea altitudine depressis pastinatur, vere dein viuiradicibus melius, quam caecis conseritur; veterana vero instauratur, vel per viuiradices, vel per mergos, posterior ratio praefacet, quod labor sit & expeditissimus, & tempestivitate etiam fructus maiorem gratiam referat.

XIV. Operae vinearum sunt; putatio, pastinatio, palatio, pampinatio, quae nonnisi expertissimo vinitori committendae sunt. Vindemia facienda est, quum vuae permatuere, quod pluribus signis aestimari potest; in resecandis vuis forficulas falci praferimus.

XV. Mustum breui post tempore, quam ex vuis eductum est, vehementissima agitatione effervescit, qua partes crassiores in summum eiiciuntur; peracta fermentatione faecibus in imum subsidentibus liquor ex opaco illustris redditur, & in vini naturam transit, quae in eo sita est, quod spiritum vini fermentatione genitum, quo mustum prius caruit, in se continet; vnde patet a bona fermentatione bonitatem vini potissimum dependere.



XVI. Nondum tamen prima hac fermentatione vinum perfectum, ac inaturum confit, insensibili quadam fermentatione longiore adhuc tempore opus est, vt percoquatur, & ad suam maturitatem perducatur; eodem tempore salis quoddam genus ad latera vasis deponitur, quod sal tartari dicitur, maioreque est copia in austoris, quam dulcibus vinis; quodsi vnum rursum non aestuose quidem, sed tamen sensibiliter fermentet, sapore aequo, ac odore, & generositate priuatur, & in acetum abit.

XVII. Condendi, seruandique vini cura his fere capitibus continetur: 1) vt dolia sint solida, & munda; 2) vt ne cella vinaria varium admittat caloris, frigorisque temperamentum, 3) vt dolia certis temporibus adfuso non inferioris qualitatis vino repleantur, eodemque tempore setaceis, ac pannis purgentur. Falsum autem est, quod quidam volunt, vnum ad maiorem bonitatem venire, si suis faecibus diutius incumbere sinatur.

DE CVLTV PECORVM IN GENERE.

XVIII. Praecipua cura domini esto, vt bonum, vibusque idoneum pecus deligat; qua in re eti certa pro casu omni praecepta dari nequeant; vniuersim tamen ad habitum corporis, pili colorem, patriam, docilitatem, mores, & generis nobilitatem attendendum erit.

XIX. Vt cunque pecus bonum sit, ac stirpis nobilis, lapsu tamen temporis degenerat; hinc sequens cura sit, bonam speciem conseruandi, vel degenerem emendandi; primum speciali tum pecoris foeti, tum foetus ipsius cura, alterum aduocata aliunde externa specie obtinetur.

XX. Quod ad stabulationem adtinet, magis proficuum iudicamus, si pecora hieme aequo, ac aestate extra stabula seruentur, concessio tamen iis tecto, sub quod mala tempestate conferre se possint; at istud de iuuene solum pecore intelligendum est, quod enim a teneris stabulis assuefit, id iniuriam amplius sustinere nequit.

XXI. Optandum videtur, vt pecora domi potius alantur, quam ad pascua propellantur, nisi forte alpina proxima adsint; quibus salutare hoc consilium non placet, id saltē current, vt incremente meridianō aestu pecora domum agantur, ab aridis vero, puluerulentis, aut vliginosis paciuis proflus arceantur.

XXII. Nutrimentum generi, naturae, ac exercitio pecorum adcommodatum sit; mundum, neque recens, neque vetustate corruptum; saepius interdiu, & minore potius copia, quam inmodice ad semel porrigatur; ternam pabulationem usus recte induxit, quibus temporibus aquam quoque praeberti conuenit; sale denique frequenter reficiantur.

XXIII.



XXIII. Mundities non in pecore solum, sed in stabulis quoque, ac tota chorte curetur, haec enim pabuli instar deseruit, & pecus incolume seruat; curandum praeterea, vt neque otio torpeat, neque inmodicis laboribus vexetur; moderatum corporis exercitium sicut incremento, & valetudini animalis quam maxime proficuum est, ita ad labores pecus reddit peridoneum.

XXIV. Pecus valetudine tentari, e tristitia, fastidio, stupentibus oculis, depresso capite, flaccidis auribus, turpi pilo, anhelitu cerebriore, aut grauiore, ore aspero, & solito feruentiore, incessu segni, & nutante colligimus: sunt autem morbi alii interni, alii externi; minores, lethales, contagiosi, capitales, qui se se vel semper manifestant, vel arte ad tempus sopiauntur; propter quod emptorem in comparando pecore circumspectum esse oportet.

XXV. Lues in pecore sola fere contagione enascitur, & propterea nulla re securius, quam separatione euitatur; caussae vero contagiosorum eiusmodi morborum variae esse possunt: pascua vel arida, & pulueribus obsoleta, vel diuturnis pluviis, aut exundationibus corrupta, vel rore farinoso conspersa; densae item, & faetidae nebulae, stagnantes, & putrescentes in pascuis lacunae, e quibus pecus siti aestuans bibere cogitur; unde patet, quanto melius sit ad praecauendum omne luis periculum pecus domi continere.

EX

PHILOSOPHIA PRACTICA.

I.

Philosophia practica, siue moralis, praecepta tradit solius rationis ope cognoscibilia, quibus voluntas in eligendo bono, & fugiendo malo felicitatis humanae gratia dirigitur.

II. Haec praecepta cum primis e fine ultimo hominis, in statu naturali considerati, rerumque omnium creatarum deducuntur. Est vero finis hic ultimus non alias, quam manifestatio diuinarum perfectionum.

III. Hunc finem homo tum demum consequitur, cum pro naturalibus intelligentiae, & voluntatis viribus Deum cognoscit, & amat: atque in hac cognitione & amore Dei, non vero in possessione ullius boni creati, sita est perfecta, eaque naturalis hominis felicitas.

IV. Actio-



IV. Actionis humanae, seu liberae principia sunt intellectus, & voluntas libera. Voluntarium tollit ignorantia antecedens, & inuincibilis, non tamen consequens & vincibilis.

V. Concupiscentia vero antecedens adeo illud non tollit, vt augeat etiam. Ii quoque actus, qui e metu seu graui, seu leui, iuste, aut iniuste incusso fiunt, sunt simpliciter voluntarii, licet vt plurimum secundum quid inuoluntarii sint.

VI. Actus humanus consideratus quoad obiectum, finem, & circumstantias, actus in individuo dicitur; vnde qui tam quoad obiectum, quam quoad finem, & circumstantias indifferens est, indifferens in individuo nuncupatur: talis per se nullus esse potest.

VII. Dictamen conscientiae ei etiam sequendum est, qui errore inuincibili laborat, ita, vt certo existimet, actionem esse praeceptam, aut prohibitam, quae praecepta, aut prohibita re ipsa non est.

VIII. Existit norma aliqua, seu regula naturalis, cui homo actiones suas liberas conformare tenetur, quaeve proprie lex, aut ius naturae dicuntur.

IX. Neque aliud est, quam voluntas Dei necessaria per rationem naturalem promulgata, & obligans hominem ad agendum vel omittendum ea, quae solo naturali lumine cognoscuntur esse praecepta vel prohibita.

X. Principium cognoscendi, quae lege hac praecepta, aut vetita sint, est ipse Deus infinite perfectus, seu perfectiones Diuinæ; sine quibus nullum aliud principium obligationis, ac moralitatis firmum esse potest.

XI. Eius prima, ac generalia praecepta, & quae cum his claram, & perspicuam connexionem habent, a nemine rationis compote inuincibiliter ignorari possunt: eorum autem, quae hanc claram, & perspicuam connexionem non habent, ignorantia inuincibilis possibilis est.

XII. Est vero lex naturae immutabilis adeo, vt nec Deus, minus potestas humana, in ea dispensare possit.

XIII. Adiunctam quamdam iam in hac vita sanctionem habet, quae vera quidem est; sed imperfecta: perfectissima eiusdem sanctio vitae alterius est, futurae scilicet post mortem mercedis.

XIV. Iure naturali quisque obligatur ad certa officia Deo, sibi ipsi, tum aliis praestanda. Atque Deo quidem inter cetera cultus tam internus, quam externus exhibendus: non ergo, vt nonnullis placet, cultus externus ex sola quadam honestate, sed ex naturali iustitia Deo debetur.

XV. Officia, quae homo sibi ipsi debet, ad animum, corpus, & statum externum pertinent, quorum & conseruatio, & rectus vius praecepitur.

XVI. Non



XVI. Non igitur licet se quamcunque ob causam directe occidere, nisi Deo iubente; vitam tamen, aliaque bona maioris boni consequendi, vel grauioris mali euitandi gratia negligere, iure naturae permisum, & quandoque praeceptum est.

XVII. Violenta vitae defensio cum caede iniqui adgressoris, seruato moderamine inculpatae tutelae, iure naturae regulariter permissa est, non tamen praecepta.

XVIII. Permissa quoque est iure naturae violenta contra vim iniustam defensio bonorum naturae, ac fortunae.

XIX. Famae tamen, & honoris cum caede iniqui adgressoris defensio; duelli item seu oblatio, seu acceptatio, honoris tuendi caussa, iure naturae prohibita sunt.

XX. Officia aliis hominibus debita ad hoc praecipue referuntur: neminem laede. Nullius proinde intellectum, voluntatem, vitam, corpus, famam, pudicitiam, aut quaevis alia bona laedere licet.

XXI. Sermo disformis obiecto, non tamen menti loquentis, falsiloquium, disformis autem menti loquentis cum intentione, quae alioquin nunquam abest, alterum fallendi, mendacium est. Hoc siue perniciolum sit, siue officiosum, siue iocosum, iuri naturae semper aduersatur.

XXII. Restrictio interna a mendacio nihil differt, vnde haec quoque prohibita est: restrictione autem externa, posita obligatione, animi nostri sensa clare manifestandi, abstinentiam quidem; quodsi tamen nullo iure a nobis veritas exigatur, ad illam recurrere licebit.

E

M A T H E S I P V R A.

E X A L G E B R A.

I.

Quantitates Algebraicas subtrahere, idem est, ac easdem cum signis contrariis addere.

II. In multiplicatione, & diuisione signa aequalia dant factum, vel quotum posituum, inaequalia negatuum.

III. Quantitas monomia eleuatur ad potentiam, si eius exponens per potentiae exponentem, coifficiens vero per se ipsum multiplicetur: Radix contrariis operationibus extrahitur.

C

IV. Po-



IV. Polynomiae quantitatis tam potentia, quam radix inuenitur iuxta formulam $a^2 + 2ab + b^2$.

V. Analyticis operationibus resoluimus problemata determinata, & indeterminata, primi & secundi gradus.

VI. In proportione arithmeticâ summa, in geometricâ factum extre-
morum & mediorum aequantur. Atque ex his & aliis principiis resoluimus
problemata regulae aureae, simplicis, compositae, & societatis.

VII. Series progressionis arithmeticæ recte summatur hac formula:
 $S = \left(\frac{a+\omega}{2}\right)n$, geometricæ vero hac altera: $S = \frac{\omega m - a}{m - 1}$.

E GEOMETRIA, ET TRIGONOMETRIA.

VIII. Mensura anguli est arcus e vertice quounque radio inter late-
ra descriptus. Hinc ope transportatoris angulum in charta metiri licet, aut
dato aequalem struere.

IX. Anguli deinceps positi duobus rectis; ad verticem oppositi inter
se aequantur: hinc dato uno e verticalibus, reliqui innotescunt.

X. Si duas parallelae a tertia secentur; anguli internus, & externus
ad eandem partem, item alterni inter se aequales sunt, & duo interni ad
eandem partem simul faciunt duos rectos: vnde fluit methodus ducendi pa-
rallelas.

XI. Si recta chordam bifariam, & ad angulos rectos fecerit; transit
per centrum circuli, & angulum ad centrum itidem bifariam fecat.

XII. Anguli tam a tangente & chorda, quam a duabus chordis ad
peripheriam comprehensi mensura est dimidius arcus, cui eiusdem crura in-
sistunt.

XIII. Igitur angulus ad centrum est duplus anguli ad peripheriam,
hic autem rectus est, si cruribus insistat integrae diametro. Vnde e pun-
cto extremo rectae erigi potest perpendicularis.

XIV. Si e vertice anguli recti demittatur ad hypothenusam perpendi-
cularis; nascuntur duo triangula toti, & sibi similia. Vnde quadratum hy-
pothenusæ aequale est quadratis cathetorum simul sumtis.

XV. In quovis triangulo latera sunt ut sinus angulorum ipsis oppo-
sitorum, & summa quorumuis duorum laterum est ad eorum differentiam,
ut tangens semisummae angulorum oppositorum, ad tangentem semidiffe-
rentiae.

XVI. Vnde datis duobus lateribus cum uno angulo, vel datis duo-
bus angulis cum uno latere, reliqua innotescunt, triangulaque resolvuntur.

E MA-

E

M A T H E S I A D P L I C A T A.

E G E O M E T R I A , E T G E O D E S I A .

XVII. Metiri interuallum duorum locorum, quorum vel uterque, vel alteruter, vel neuter accedi possit. Hinc de latitudine fluminis, fossae maioris, piscinae - - - constituere.

XVIII. Metiri interuallum duorum locorum, dum obices aquarum, collium - - - faciunt, ut linea baseos aut scopos versus adsumenda sit, aut transeat per lineam interualli quaesiti.

XIX. Metiri altitudinem accessam, vel inaccessam, aut eius partem, etiam dum basis obiectum versus adsumi nequit.

XX. Inquirere in altitudinem obiecti seu infra sive supra horizon- tem stationis locati, etiamsi basis in adclivi, aut declivi loco sumenda sit.

XXI. Perficere ichnographiam areae campestris peruviae, vel in perviae, etiam per quam non pateat prospectus ad omnes angulos, aut cuius ne pe- rimeter quidem accedi queat.

XXII. Ducere, & in campo designare lineam meridianam, & hinc acus magneticae declinationem examinare.

XXIII. Conrigere angulum extra centrum stationis obseruatum, & ad illud reducere, dum mensor positus est ante vel post centrum, aut ad sinistram vel dextram eius partem.

XXIV. Areae campestris capacitatatem inuenire, eandemque diuide- re 1mo ope calculi, 2do plerarumque figurarum areas a puncto dato in latere vel angulo, ope linearum partiri. Aut denique aream alteri aequa- lem, et si dissimilem, in permutatione camporum, excindere.

EX H Y D R O T E C H N I A .

XXV. Libellationem simplicem vel composam instituere, fluvii de- clivitatem examinare.

XXVI. Explicare fluviorum originem, ac inde loca fontibus apta designare.

XXVII. Aquae gravitatem explorare, determinareque eius pondus in mensura pedis cubici, inde simul inuenire pressionem in fundum, & latera.



XXVIII. Inquirere in causas exundationum in fluuiis, eisque occurrendi modos adsignare. Contra item subpeditare media ad procurandam fluminis intumescentiam navigationibus aptam.

XXIX. Tradere methodum dimetiendi celeritatem fluminis seu in superficie, siue in diuersis punctis profunditatis, inquirereque in eius caussas, & hinc aptissimum situm canalis longioris deducere.

XXX. Determinare verum fundum, verosque limites fluminis, indeque deducere modum accelerandi, aut retardandi motum.

XXXI. Inuenire, quot pedes cubicos aquae fundat sectio regularis vel irregularis, aut eius pars intra minutum *2dum*.

XXXII. Inuenire, quantum constringendum sit fretum, ut aqua data quantitate fiat altior, indeque emolumenntum nauigationis, ac molarum deducere, & constituere, an securum sit fretum quodpiam ponte iungere.

XXXIII. Constituere, quod ostium fluuii periculosem sit, & quae optima fluuiorum conjunctio.

XXXIV. Referre leges, quibus mucetur, semita fluuii, aut eius directio.

XXXV. Determinare longitudinem, ac situm, ipsumque adeo angulum prysmatis hydrotechnici seu offensiui, siue defensiui.

XXXVI. Exponere, quae utilitas brachii regredientis, quae genuini, quae item leges, aperiendi brachium antiquum.

XXXVII. Praedicere effectus sequuturos, si serpentina fluuii reducatur ad rectam, & contra.

XXXVIII. Referre genera, materiam, formas, ac modum structurarum Hydrotechnicarum.

XXXIX. Tradere methodum ponendi prysma aggerans, dissipans, inflectens, ac singulorum effectus describere.

XL. Inquirere in caussas ruinae riparum, easque muniendi methodos tradere.

XLI. Designare vires aquarum in paludibus, ac piscinis, eisque obponere aggerem, resistendo parem, ac determinare quantitatem marginis ripae.

XLII. Inuenire, quantus effluxus paludi procurandus, vt ea intra datum tempus exsicetur, ac determinare latitudinem & situm canalis ad demittendas aquas.



EX ARCHITECTVRA CIVILI.

XLIII. Recensere aedificii dotes, legesque firmatis.

XLIV. Enumerare praecipua caementa, singulorum indolem, vsum, ac explorandi modum.

XLV. Percensere laterum materiam, figuram, dimensionem, vsum, examen.

XLVI. Tradere methodum calcem excoquendi, restinguendi, conseruandi, probitatem explorandi.

XLVII. Prodere indicia probi mortarii, arenae, gypsi, vsum item limi, argillae, vti & ferri, plumbi, cupri, ac vitri.

XLVIII. Referre ligna vniuersae praestantissima, partes meliores, modum caedendi, conseruandi, examinandi, item variarum specierum varias applicationes.

XLIX. Animaduersiones facere in fundamenta, fundationem, substructionem, soli indolem, huius exameu, lecti soliditatem, fundationis altitudinem.

L. Recensere leges substructionis de eius materia, stratis, erismatibus, modo contrahendi, item lecti parandi in loco saxoso, palustri, limoso, fabuloso.

E X

HISTORIA CRITICA. ECCLESIAE, ET REGVM HVNGARORVM.

I.

Hominis in agendo felicitatem mirifice promouent paeclaras antecedentium exempla; quorum ea vehementius impellunt animum, quae a Majoribus, atque Auis sunt prodita. Haud ergo ab instituto deerrauimus, quum ad Patriae Historiae tractationem animum adiunximus; de nostro potius, quam de alieno sapere ausi. Itaque:

II. Hunnorum Maiores Scythaes vltimos Asiae recessus tenebant, de quorum Originibus commenta tradentem Herodotum, Diodorum Siculum, Iornandem deridemus; Auentinum, & Eccardum negligimus; Innocentii vero Desericii, & Georgii Praii pereruditis lucubrationibus & ipfi deferimus plurimum, easque aliis commendamus. Iuxta quos:



III. Hunni sub Balamberis Regis auspicio Europam circiter AC 374 ingressi sunt, Pannonias vero adierunt 377; quin tamen praelium cum Longobardis apud Potentianam urbem conseruerint: cuius belli adiuncta rectius Hungaris, quam Hunnis attribuimus. E ceteris Hunnorum regibus:

IV. Maximus erat regum Atila, *Metus Orbis*, *flagellum Dei*, cum exordio seculi V. natus, ac haereditario post patrem iure solium indeptus, quod communibus cum Bleda iuniore studiis aliquamdiu tenuit: deinde vero, hunc e medio tolli passus Monarhiam apud suos inuexit. Ita:

V. Res Hunnorum in Asia Europeaque florentes argumento sunt, Religione, praecipuo Humanae societatis vinculo, illos non caruisse; neque, quod Simulacra deorum apud eos inuenta non sunt, atheos propterea, omniq[ue] religionis sensu destitutos fuisse. Nempe: eorum Deos passim amplexi fuerunt, quibuscum belli, pacisque eis intercedebat societas. Ipsa tamen:


VI. Orthodoxa Christi fides ad Hunnos non ante delata est, quam illi, deserta Seculo IV. penitiore Asia, in Europam se infuderunt; nocti sollicitos Euangeli praecones Theotimum Tomitanorum, & Nycaetam Dacorum Episcopum. Isthuc delati:

VII. Mitigatis per frequentem cum Christianis populis consuetudinem sensim animis, vix ad eam insolentiam prolapsu fuisse credi possunt, ut sanctorum Virginum Ursulae, & Sociarum caedem perpetrauerint. Unde non temere Codicis Romani, Maiores nostros pluribus de causis ab immannissimae eius caedis suspicione absoluenter sententiam amplectimur. Hunnorum successores:

VIII. Auares, qui accisis suis in Oriente rebus Europam fugitiui petuerunt, Pseudo-tantum Auares, veri autem nominis Hunni, & Europeorum Hunnorum cognati erant, qui pacto cum Longobardis armorum foedere Daciam primum, tum Pannoniam A. C. 568 ingressi sunt, auctumque Hunnorum imperium suscitarunt. Post diuturnam in ea dominationem:

IX. Octensi tandem bello fractis, veterique potentia exscoliatis, fidei Christianae lumen Carolus M. cum filio Pipino accedit, Arnone Iuuauiensi, & Vrolpho Laureacensi tantum proferendae fidei ardorem confouentibus. Tertia demum Colonia:

X. Hungari Dentumogeriae provinciae angustiis vici A. C. 894 in Europam sub Boebodis siue Woiuodis immigrarunt, quorum etsi fortunis locupletior esset Almus, dignitate tamen, atque imperio haud erat eminentior, quare, nec primi eorum ducis honore conspicuus. Post plurima praecclare gesfa.



XI. Clades Augustana magnum Hungaris attulit periculum, qua Bologneses cum Leelo captus est, eisque capitis suppicio damnatis Botondus probabiliter additus. Toxo tamen supremo Hungarorum duce hostis potitus non est, neque omnem eius exercitum ad septem usque viros fuga elapsos deleuit. E Toxo iam ante Annum 958 natus:

XII. Geiza A. C. 972 confestim, quam pater e vita excessit, supremam armorum populique potestatem adiit, nempe regno iam maturus, atque etiam Vicennario maior. Probabilius autem:

XIII. Gemina Geizae fuerat coniux Sarolta, & Adelhais; illa Transilvani, haec Poloni Principis filia: pro qua altera Polonorum praesertim ea sunt testimonia, ut vix a ducis toro excludi, cum Sarolta autem matre B. Stephani confundi minime possit. Geiza ducatum tenente:

XIV. Apud Gentem Hungarorum prima ad Religionem veram fundamenta deposituit Otto M. per legationem a Brunone Verdensi episcopo obitam: ut adeo initia religionis Christianae in Hungaria baptismo Gylae ac praedicationi Hyerothei adseranda non sint. Itaque:

XV. Conuersio Hungarorum non Orientalis, verum Occidentalis Ecclesiae seges est, praedicatione Piligrini & Adalberti praesulum, Geizae item ducis opera, ac eius filii Stephani Apostolico zelo collecta. Ante cuius prodigiosam nativitatem:

XVI. Visiones sacrae, Geizae duci, atque eius coniugi Saroltas oblatae, summam apud omnes bonos fidei dignitatem obtinent, prout & baptismus a S. Adalberto Pragensium Episcopo ei infanti, non adulto collatus. Pubescenti:

XVII. Stephano, nondum annos XIV egresso Hungari solenne Sacramentum dixerunt, a quibus ob illatam subinde regiam dignitatem Protorex, & Pater totius regni Hungariae fuit appellatus. Concessa condendi regni potestate:

XVIII. Syluester II. Pontifex destinatam Polono Principi Coronam Stephano per Astricum Colocensem transmisit, illustre Romani Pontificis, non Orientalium Imperatorum munus. Cui additae:

XIX. Litterae, a Sylvestro II. Papa ad ducem Stephanum exaratae, genuinae sunt & authenticae; neque ab Inchofferio, quem tam impiae fraudis suspectum reddere Schwarzius comatur, conflatae, ac suppositae. At ex eis tamen Litteris:

XX. Diuus Stephanus fiduciario iure regnum S. Petro obtulisse doceri minime potest, unde neque piissimus Pontifex Sylvester II aliud, quam sacrum sibi imperium (quale nempe in cetera etiam Occidentis regna habebat) in illud reseruasse dicendus est. Nam amplissimum:



XXI. Hungariae Regnum tametsi ad Arpadianam stirpem inde ab suis incunabulis pertinebat, Patrimoniale tamen nunquam fuit; quam obrem a rege citra Ordinum consensum neque in alterum transferri, neque fiduciaria potestate cuiquam subiici potuit. Profecto:

XXII. Neque Sinistra armorum collatione, neque ullis nostrorum pactionibus Imperatori Germanico clientelaris aliquando euasit Hungaria; Regnum ab exortu suo semper Liberum. Intra cuius Regni ambitum:

XXIII. Stephanus non ex suo tantum ingenio, sed auctoritate, atque indulgentia Romani Pontificis Ecclesias ordinavit; ac praeter Archiepiscopatum Strigonensem decem praeterea Cathedras Episcopales condidit: Agriensem, Batsiensem, Chanadiensem, Colocensem, Iaurinensem, Magnowaradinensem, Quinque-Ecclesiensem, Transiluanensem, Vaciensem, Weszprimiensem. Contra quem Cathedrarum Episcopalium syllabum:

XXIV. Operose conquisitae nonnullorum rationes etsi plurimam laudem merentur, tanti tamen nobis visae non sunt, ut euincant Geizam ducem Weszprimiensis; Geizam autem regem Vaciensis, S. denique Ladislauum Magno-Waradinensis antistitii fuisse conditores. In piissimos tamen diui Stephani Manes:

XXV. Non peccabimus, si, fideliora vestigia secuti, Nitriensem Episcopatum a Bela II. Zagrabensem a S. Ladislao; Sirmensem ab Vgrino Colocensium Archi-episcopo; Bosnensem a Colomano Bellae IV fratre institutos arbitremur. Similiter etiam:

XXVI. Munificum fuisse Geizam II in Ecclesias Dei Hungaricas ambiguum plane non est; nimii tamen sunt, qui hunc Colocensibus Archi-episcopen intulisse, ac vetus etiam Nitriense Pontificium restituuisse existimant: Rectius illud S. Stephano, hoc autem Belae II Caeco (*Prop-sup.*) attribuitur. Atque:

XXVII. Singulari hac Regum nostrorum liberalitate factum est, ut, cum omnes propemodum Hungaricae Ecclesiae ab eis fundatae, ac locupletatae fuerint, Ius Patronatus sibi, successoribusque in easdem pepererint. Unde ad ceterorum Patronorum morem:

XXVIII. Ius Patronatus non praesentando solum, & nominando reges nostri exercent, sed tanquam legati Apostolici praelatos Ecclesiarum ipsi elegunt, eisque beneficia Ecclesiastica dant, donant, conferunt: solo confirmationis, & ad consecrationem electionis iure summo Pontifici reseruato.

XXIX. Quod ius quae situm, quia Sinistra bellorum alea, prouinciarumque amissione neque diminuitur, neque intercidit, consequens est: in eis Episcopatibus, qui hodie a corona apostolica auuli sunt, ius eligendorum,

dorum, renunciandorumque praesulum Regibus nostris etiamnum sup-
tere. Et quamquam:

XXX. Non diffitemur, Colomanum Regem hortatu Paschalis II. in-
uestituras Episcoporum remisisse; ac etiam addimus, Geizam II., Belam
III., huiusque filium Emericum Ius transferendorum, & deponendorum
Praelatorum ex Alexandri III. Consilio circumscriptisse; at vero iuri electio-
nis, collationis Beneficiorum, & Regaliae renunciasse illos inficiamus. In
Nouitia Hungarorum Ecclesia:

XXXI. Conciliorum celebrandorum usum iam ad Diui Stephani
aetatem pertinuisse, arbitramur; fatemur autem: ea ante Laurentium
Metropolitam Strigonensem nondum ab solis Episcopis fuisse coacta; quod
legum Ecclesiasticarum observatio a durioribus multorum animis auctoritate
regia esset exigenda. Vnde Episcopi leges a se latas ad publica regni co-
mitia, quo vim tabularum fortirentur, retulerunt.

XXXII. Belli Fraterni Andream inter, ac Bellam I. gesti culpam in hunc
potius transferimus; nam sponsio de regni successione nondum nato Salamo-
ne facta Andream prole mascula deinceps auctum haud obligasse visa est.
Similiter:

XXXIII. Lis annosa, quae inter cognatos Salamonem, Geizam,
Ladislauum tenuit, cuique non modicum Hungarici sanguinis litatum est,
Salamonem regem turbarum fontem agnoscit; ut non immerito germani
duo in sui tutelam arma capientes a perduellionis suspicione absoluantur.
Quae autem de Salamonis Regis extremis fatis circumferuntur:

XXXIV. Ea Sententiarum maxime est veritati confinis, in qua Sa-
lamon Polae in Istria vitam Sanctam posuisse, & diuorum postea honoribus
ea in Urbe cultus fuisse non illustrum modo virorum testimoniis, sed
litterariis etiam documentis perhibetur. S. Ladislai filius:

XXXV. Colomanus in optimorum Hungariae regum numero cense-
retur, si animi interdum sui vehementiam compressisset: qua, dum pre-
sertim in Almum desaeuit, imperatorias ceteroquin virtutes suas plurimum
obscurauit. Iccirco:

XXXVI. Frustra sunt ii: qui Colomanum ante, quam solium indis-
piceretur, Sacerdotio initiatum fuisse contendunt; atque eundem in fronte
Magno - Varadinensium Episcoporum collocant.

XXXVII. Bela IV, quamquam toto regiminis eius tempore mala
plurima, ex Tartarorum praesertim clade, omnis Hungaria perpessa est,
merito tamen prouidentissimus Regni Pater, & alter illius post S. Stephanum
Fundator dicendus est. Postremus Arpadianorum:



XXXVIII. Andreas Venetus optimo iure solium Hungarum adiit, et si turbatum postea ex potentissimis Aemulis nanciseretur imperium, quorum iura ob visitatam Masculinae Stirpis successionem, liberrimamque procerum eligendi regis potestatem non aequissimis plane caassis nitebantur.

XXXIX. Comitem Cileensem gentis Coruinianae interitum afferstantem non sine causa ab Ladislao Coruino interermtum pronunciamus.

XL. Mathias Coruinus Aetatis suae anno quinto decimo in Urbe Pestensi matris potissimum, Zilagii, ac Podiebradi opera rex legitima electione, liberisque optimatum suffragiis fuit renunciatus.

